



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs  
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,  
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges  
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

**Gretser, Jacob**

**[München], 1613**

Jtem exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Pippinum Regem  
directa, de monacho quodam Acosma ab Alexandrino Patriarcha directo.  
XXXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistola eiusdem Papa, ad  
Domnum Pippinum Regem directa, de monacho quo-  
dam Acofma ab Alexandrino Patriar-  
cha directo.*

XXXV.

*Summ. 7.  
Bar. 6.  
Cent.*

**D**OMNO excellentissimo filio & nostro spiri-  
tali Compatri Pippino Regi Francorum, &  
Patricio Romanorum, Paulus Papa. Quia  
Spiritus sancti gratia preueniente, cor benignae exi-  
mietatis vestrae amor Dei inflammavit, profecto con-  
stat, a Deo servate praecellentissime Rex, piis te pro-  
fectibus adherere, & dum tantam in vobis cumula-  
tam gratiam conspiciamus, omnino nobis & omnibus  
Christianis fiduciae materia de vobis admessa est, quod  
ea, quae ad cultum Dei & verae fidei orthodoxae obser-  
vantiam respiciunt, toto mentis conatu vos esse ope-  
raturus conspiciamus.

Inter haec vero sublimissime fili, & spiritualis Com-  
pater, si quid ad nos pervenerit, libentissime, sicut or-  
thodoxo Regi & defensori fidei Christianae significa-  
mus: Innotescimus quippe, iam absolutis vestris Mis-  
sis, coniunxisse ad nos nauigium a partibus Africae, in  
quo quidam monachus Acofma ab Alexandrino Pa-  
triarcha cum literis directus aduenit, quarum instar,  
prae fulgidae excellentiae vestrae missimus intuendum,  
ut ea, quae nobis pro integritate fidei, ab orientalibus  
praesulibus & caeteris nationibus diriguntur, agnosca-  
tis, & laetetur cor vestrum in huiusmodi eorum affe-  
ctu, quem in mandatis Dei habere videntur: quia-  
dum piæ considerationis studio mens vestra intenta  
existit, nimirum oppidò gaudere vos credimus, si ea  
vobis,

vobis, quæ pro integritate fidei pertinent, innotescimus: sed ipsa sancta orthodoxa, quam venerando colitis fides, vos & in præsentī vita longeuiter cum victoria foueat & æterna cum sanctis tribuat gaudia possidenda. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

*Item exemplar Epistolæ generalis populi, Senatusque Romani ad Dominum Pippinum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & de litteris quas Dominus Pippinus Rex eidem populo direxit pro fide seruanda, erga sanctam Dei, Romanamq; Ecclesiam, & Dominum Paulum Apostolicum.*

## XXXVI.

**D**OMNO excellentissimo atque præcellentissimo, & à Deo instituto magno victori Pippino Regi Francorum & Patricio Romanorum, omnis senatus atq; vniuersa populi generalitas à Deo seruata Romanæ vr̄bis. Si interius mente operum vestrorum studia humanus voluerit sensus pensare, nihil, vt opinamur, ad horum vicissitudinem dignum potest existimari, aut in hac temporali vita rependi, sed tantummodo illa sunt considerata vobis retribui à iusto iudice Domino Deo nostro, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se: hæc nempe vobis digna est retributio, dum nimirum vestro certamine sancta Dei Ecclesia atque Christianorum orthodoxa fides dinoscitur esse defensa; omniumque nostrum constant procurata salutis remedia; & quia,